SPECIMEN,

Tum Inſcitiæ, *tum* Malitiæ,

detectæ;

IN

Calumniis, & Mendaciis,

Partim

STEUARTII furibundi,

Partim

REVII iracundi,

PER

PHILALETIUM ELEUTHERIUM,

ATHENIENSEM.

[redacted]

Heereboort

DICÆOPOLI,

Apud Verinum Candidum, & Juſtum Pacium, *ſocios.*

Ad interſigne *Pilei.* 1648.

Veræ Libertatis ergo.

Philalethius Eleutherius Athenienſis

LECTORI S. D.

Poſtquam pulverem excuſſi trivialem, animumque ad graviora applicui ſtudia, vehementer me cepit atque unice oblectavit Philoſophia: Occulto ſcilicet inſtinctu atque interno motu ad veritatis indagandæ ſtudium in hoc uſque tempus mirum in modum me pertraxit genius meus: atque ut illam veri inveniendi cupidinem explerem, ſedulo primum in Græcia, Patria mea, Philoſophiæ incubui: ſed enim quia legeram, veteres gentis meæ Philoſophos, Pythagoram, Anaxagoram, Empedoclem, Platonem, Ariſtotelem, alioſque, quos ob ſapientiam omnis mundi ætas miratur ac veneratur, longiſſima olim in Aegyptum, Judæam, Perſiam, Indiam, ad Sacerdotes, Magos, Gymnaſophiſtas ſuſcepiſſe itinera, ut Philoſophiam, quæ ſola rerum naturalium docet veritatem, ab illis addiſcerent, ad horum exemplum componere me volui, & varias videre terras moreſque hominum. Peregrinatus itaque ſum per Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, Galliam, Angliam, & ubicunque potui, undecunque, magno ſtudio atque induſtria in naturæ veritatem inquiſivi. Placuerat mihi ſemper illa Philoſophandi methodus, quæ ſolius naturæ & rationis luce ſubnixa, ſolute & libere in vero exquirendo verſatur: eam tamen non fuiſſe uſitatam in locis, quæ peragraveram, deprehendi. Authoritas enim potius ibi dominabatur quam ratio, & inventa jam cenſebantur ab Ariſtotele & interpretibus veritates non inveniendæ. Audiveram ſæpe de libera Batavorum Rep. & gentem illam multa pro libertate olim fuiſſe perpeſſam, atque etiamnum ita ejus amantem ac tenacem, ut non niſi cum vita eripi eam ſibi patiatur. Intellexeram in Batavia ſolo florere Academiam, toto nunc orbe celeberrimam, nec fama inferiorem Academia Platonis aut Ariſtotelis Lyceo, ipſamque urbem Academiæ ſedem nunc alteras dici Athenas, ac Batavas.

Ad hanc ergo bonæ mentis ædem, & magnarum animarum Prytaneum, me contuli, plenus ſpei, fore, ut in gente libera liberior foret [redacted] Hiſpanica, etiam Ariſtotelica, tyrannidis jugum excuſſiſſet. C[redacted] partim falſi nunciam, comperi, ac diviſum iſtic tenere imperium, tum libertatem Philoſophandi, tum ſervitutem. Unum ex Philoſophorum ordine ita alligatum & adſtrictum ſcholaſticorum nugis deprehendi, ut extra eas nihil ſciret, & circa naturæ veritates veraque principia, omni talpa eſſet cæcior. Alter mihi fuit compertus eſſe ingenii facilis, liberi, ac verſatilis, & qui non aſſentiretur niſi iis, quæ vera eſſe, ratione duce, cognoviſſet, & qui aſſenſum cohiberet ab iis, quæ vel incerta, vel falſa eſſe, eadem ratio demonſtraſſet. Huic me Philoſopho, quod præter Philoſophiam, candorem, ingenium, & apertum profiteretur animum, in diſciplinam dedi multumque ab eo didici. Prior ille Ariſtotelicus audit, nec eſt tamen: hic eſt, nec audit tamen, ſed novitius fere & novator, quod novas interdum veritas, quas ſcrutando invenit, in medium proferat. At quis non ſic novator audire malit quam Katovator? Cum hic meus Amicus & Præceptor bene de me meritus famoſis quibuſdam libellis nuper impeteretur, iis, ne à ſeriis abſtraheretur Meditationibus, ego pro ipſo obviam ire volui, atque innocentiam ejus tueri: quæ patebit legenti hoſce in Vindicias Stenartianas & Adſperſionem Calumniarum Revianam Commentarios ac Notas.

PHILALETHII ELEVTHERII ATHENIENSIS,

Notæ ad Vindicias

Disputationum ADAMI STVEVARTI, DE DEO,

Contra Professoris non inglorii infamem libellum.

Ad titulum p. 1. l. 4. *Infamem libellum.*]

I*Nfamis* dicitur, qui ob vitium aut turpitudinem aliquam male audit, ἄτιμος Græce, cui fama parum est secunda aut integra. Vox ea proprie de hominibus dicitur, quia in eos cadit, *fama*, nomen, existimatio bona vel mala. At Collega tuus, Professor est non inglorius, ut scribis ipse, quomodo ergo infamis simul? Et, *certe aliquod nomenque decusque*, gessit & gerit adhuc in Academia patria, quam non pudet sui alumni ac nutritii: Thesium & corollariorum libellus infamis dici nequit nisi per *Metonymiam effecti*, quia aliquem infamem reddit. At quem? an *scribentem?* qua ergo infamia eum affecit? quam labem ejus nomini adspersit? *quod acrior sit addita præfatio?* At ista acrimonia opus erat ad retundendum calumniæ jam grassari cœptæ virus. Malis inveterascentibus quærenda sunt remedia extirpantia omne pus. Duro nodo durus convenit cuneus. Non debet impune esse alicui, ut quævis opinionum portenta & monstra fingat & affingat viris honestis sub generali & indefinito Neotericorum Philosophorum titulo. Individuum illud vagum erat determinandum. Non ita grassandum in bonorum famam, quæ iis juxta vitam est chara. Talis genius sine ulla infamia scribentis acriori calamo perstringi potest. Sed fortasse infamem reddiderit *alium* Thesim & Corollariorum libellus? at quem iterum? an eos, quos calumnari asserit & mentiri? At si calumniari & mentiri publice scribatur, qui utriusque reus est, per scribentem redditurne infamis, ac non potius per seipsum? non reddidit infamem Iudam Scriptura cum furem eum,

non Herodem cum vulpem ipsum, non Phariseos cum Hypocritas illos, vocavit: sed ipsi suis vitiis, furto, fraude, Hypocrisi, nominis boni famam sibi sustulere. Videat *Vindiciarum author*, an sibi integra sit fama ac constet, an ita bene audiat, an non sit infamis, qui novit, quæ se inter & *Rev. D. Molineum* aliosque *Sedani* olim sint gesta, quomodo, &c.

Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum.

Pag. 1. lin. 13. *Cl. Collega meo semper (nolit velit) amore complectendo.*] Lin. 26. *Quanta possum animi moderatione placide refellam.*] Pag. 2. lin. 10. *ut Philosophum decet, cum Philosopho placide disputabo.*] Quo amore Collegam (nolentem volentem) complexus fuerit *Vindiciarum Author*, quam moderate ac placide egerit, quam protestationi contrarium sit factum, quomodo fidem ultro hic datam fregerit, ideoque nullam amplius mereatur, totus loquitur unius folii libellus: sed speciatim vide titulos & elogia, quibus pro amore Collegam ornat.

Pag. 1. Non insiliam in insilientem in me *viperam*. Ibidem. non recalcitrabo *asino* calcitranti. Pag. 5. Si servus Dominum & Apostolus Christum, quid mirum, si frater fratrem & Collega Collegam eodem prætextu *prodiderit?* pag. 6. lin. 30. *Deo contradicere* non vereris. Pag. 7. Multi sunt Neoterici Philosophi, quibus nomen *Legio* est, aut esse debet. Pag. 8. lin. 33. perexiguum aut *nullum cum bonis Angelis* claritati tuæ est *commercium* pag. 9. lin. 20. & 35. *puerilem* & *insulsum* disputatorem. pag. 13. lin. 5. te *impudenter* hic mentiri. lin. 19. per sacras *conscientiæ* tuæ *reliquias*. ibid. l. 36. non tamen *tibi aut malo genio cedam*. pag. 14. lin. 12. tuum ridiculum figmentum & *diaboli* inventum quo recta ad Atheismum sternitur via. pag. 16. l. 16. &c. Hæc sunt sacra amoris tui in Fratrem & Collegam emblemata. Credisne Deum esse, qui videat, quam hic perfide illudas Vindiciarum tuarum lectoribus, sed & crede Vindicem fore tuæ perfidiæ & falsitatis.

Pag. 1. lin. 23. *Dogmata ad Atheismum ducentia, Religionem orthodoxam evertentia, & Pontificiam stabilientia.*] Quæ sunt ista? si Vir es, ostende, D. Professor, pœne dixeram, Calumniator primarie. Provocat te *tuus Collega*, ut in arenam hic secum descendas, pedem pedi jungas. Experire eum quem juvenem toties & puerum vocas. Si ætate sit inferior, non item ratione erit. Nemo propter ætatem te contemnat, dixit Timotheo Paulus. Sed hic mos est tuus & multorum hodie tui similium, ut quæ palato non placent vestro, quibus vulgaris eruditionis fama vestra non nihil imminuitur, ea statim *Heterodoxia, Atheismi, Blasphemiæ, Papismi, Pelagianismi*, convitiis proscindatis: At ista calumniandi impudentissima consuetudo & stolida judicii præcipitantia, à quibusvis, etiam ignorantissimis, exerceri potest, indigna maxime iis, qui Christiani audire volunt & viri boni, aut etiam Lumina inter eos & ornamenta censeri. Sed ad horum criminum ex sui libelli thesibus aut Corollariis probationem te iterum lacessit *Collega* tuus, quem si contemnas, mecum age. Ego ipsius vicem lubens subeo.

Pag. 1. lin. 25. *De hac secta.*] Quia hoc sectæ nomen mirifice tibi placet, & in sinistram à te accipitur partem; Disce, nomen *secta* & *αἵρεσις* honorifice interdum sumi, & bene capi & male. *Collega tuus* Veritatem solam sectatur; nulli unquam

unquam se mancipat: nullius nomen fert: multum quidem aliorum judicio tribuit, aliquid & suo. Ejus sic est ratio & sic animum induxit suum, Philosophis ac sapientiæ Studiosis, quos inter se libentissime profitetur nullius sectæ nomen esse usurpandum, nisi forte *Potamonis Alexandrini*, qui circa ævum vixit *Imperatoris Antonini*, ac scholam aperuit ἐκλεκτικὴν electivam, de qua in prooemio *Diogenem* lege *Laërtium*; in hac schola & secta, quicquid *Platonici*, *Epicurei*, *Aristotelici*, *Stoici*, *Ramei*, *& Cartesiani*, & quicunque unquam extiterunt Philosophi atque etiamnum existunt, docuere, posuere, protulere, docent, ponunt, & proferunt, eligitur, seligitur, accipitur, quando & quamdiu rationi fuerit compertum ac comprobatum. Hujus *secta* & scholæ homines, si quid in *Platonis* Dialogis occurrit commodum vel utile, id sibi colligunt: si quid in hortis *Epicuri* extet bonum, id corradunt: si quid melius *Aristoteles* vendat aut *Stoici*, id assumunt. Si quid apud *Telesium*, *Patritium*, *Campanellam*, *Vivem*, *Ramum*, *Verulamium*, *Cartesium*, inveniatur boni succi ac saporis, id apicularum instar, tanquam mel quoddam suavissimum in alvearia sua comportant. De hoc genere *sectariorum* & *Hæreticorum tuus* est *Collega*, & sic Hæretici ac sectarii nomen non reformidat, & patitur te esse sectarium & sectæ Principem tuo sensu. Artem parasitandi quibusdam, inquit *Gnatho* apud *Terentium in Eunuch. Act. 2. sc. 2.*

Ut sibi liceret discere de me: SECTARI jussi.
Si potis est, tanquam Philosophorum habent disciplina ex ipsis
Vocabula, Parasiti item ut Gnatonici vocentur.

Neque tuus tibi *Collega* invidet, ut qui te *sectantur*, & ex tua sunt *disciplina*, *artemque* discunt calumniandi, *Steuartiani* nuncupentur. Neque ægre fert sectam tuam insuper *Aristotelicam* dici, nam ad hanc proxime accedit: ejus enim Princeps quoque *Aristoteles* strenue *Platonem* & veteres ante se Philosophos calumniatus est, quod præter alios à *Patritio* in *Discuss. Perip.* & nuper à *Gaudentio* in *Aristotelico Veterum contemtu*, satis est demonstratum. Ita optime conveniunt Philosophia ac secta *Aristotelica* & *Steuartiana*: nec ovum ovo similius est, quam hæc illi. Quam vero studueris, *Philosophus Primarius*, primatum aliquem & sectæ Principatum tibi comparare, quanta animorum inter studiosos eum in finem divortia institueris, ego, postquam Græcas reliqui Athenas & in Batavas commigravi, atq; hic substiti, satis vidi, & viderunt alii: sed liceat tibi *verum libere* dicere *Philalethio Eleutherio*, qui utcunque *Græcus* sit non tamen mentietur. Dolui ego, doluerunt alii, te *Archi-Philosophum* ad istam τὴν ἀρχὴν grassatum fuisse viis obliquis calumniandi & convitiandi, ac nomen quæsivisse, irruendo in nomen honestum Collegæ, illud si posses, omnibus modis subruendo.

Pag. 1. l. 28. & 29. *Cum hic causam Dei ago, non rependam injuriam pro injuria.*] Tune Dei causam agis, nec injuriam rependis? cum *linea seq. vipera*, & mox *asino*, & postea *Iudæproditori*, *&c. Collegam* comparas. Ubi mens, ubi pudor? ubi quam ore crepas, conscientia? Detestandum est genus hominum & hypocritarum, qui Dei causam prætexunt, Dei nomen adjurant, conscientiam semper testantur, clanculum interim aut aperte, proximum suggillant, calumniantur, lædunt. De quibus vere dicitur: *simulata sanctitas duplex iniquitas*. Et quæ est hæc argumentatio

 l. 13.

l. 13, *D. Philosophe? Non recalcitrabo Asino calcitranti, multo minus Viro Celeberrimo.* Imo contra, quia Asino calcitranti non est recalcitrandum, maxime respondendum est homini, & Viro Celeberrimo: nam ab asino nihil est rationis quod exspectes, ab altero contra.

Pag. 2. l. 1. & 5. *Stercus retorquere.*] Quis unquam stercus torqueri dixit & retorqueri? Vah! Fœtet vox & oratio tua tota, aliquot lineis! Phi! Iam fœtor nares legentis opplet.

Pag. 2. l. 2. *Fringat & ringat.*] Repetis pag. 12. & 13. Quia *Græcus* sum nec *Latinè* satis fortasse novi, doce me, quæso, quid significet vox *fringat*: nam in *Calepino* meo & *Cornucopia Perotti* non invenio: forte vocabulum est Scoticum.

Pag. 2. l. 15. *Iuventutem novitia quadam Philosophia infectam.*] Mirum, ni peccati originalis aut veneni instar sit Philosophia, ut inficiat mortalium animos! Sed quænam est ista *Novitia Philosophia?* An *Cartesii?* At, mi homo, quam erras, si sic existimas. Illa est omnium antiquissima: nam ejus principia cum ipsa Natura sunt nata. Nihil agnoscit ille *Philosophus* in corporibus naturalibus, nisi figuras, magnitudines, motum, situm, extensionis varios modos. Intellexeram in *Græcia* mea jam ante bis mille & amplius annos, ante ipsius *Aristotelis* tempora, non fuisse explicatas corporum naturas, proprietates, operationes, per alia principia, quam per corpuscula quædam minuta, variis figuris prædita, variam magnitudinem, situm, ac motum habentia. Et fuit talis fere Philosophia *Democriti*, qui *Aristotelem* tempore antecedit. Sed enim, quis negare ausit, à prima creatione corpora extitisse magnitudinis ac figuræ inter se diversæ? Quis negare ausit, corpora moveri? Ista & sensibus percipimus & imaginatione & intellectu. At hæc sunt Principia quibus nititur in explicandis corporibus iste *Philosophus*. Neque modus Philosophandi, quem sequitur, *novitius* est; nisi Mathematica demonstrandi ratio novitia sit. Sed tibi omne illud novum est, quod non capis, seu capere nolis, seu non possis.

Pag. 2. l. 17. *Hæc stulta dogmata examinaveram.*] Heus tu! Quomodo existimasti stulta esse dogmata, & quæ nulli homini, cui sanum sinciput, in mentem venire possent, si nondum examinaveras?

Pag. 2. l, 19. & seq. *Præcognita.*] Quæ hic vocas *præcognita*, & statim, *prodigiosa opinionum portenta*, ea nec præcognita sunt omnia novitiæ Philosophiæ, sed maximam partem, conclusiones demonstratæ, nec portenta prodigiosa, quia nihil insolitum futurum portendunt, sed veritatem. Quod statim subjicis, *ea esse à Collega tuo Clarissimo per Academiam disseminata*, in eo crimen falsi committis; aliquot tantum eorum pro Disputatione interdum ventilari passus est. Præterea, neque omnia quæ recenses sunt novitiæ Philosophiæ dogmata, sed quædam falso ei adscribuntur. Falleris vehementer cum Aphor. 7. *Non satis accurate loquuntur, qui dicunt, Mysteria in sacris revelata, fide tantum teneri.* Et 16. *Sola hominis forma est substantialis, reliqua autem omnes modi, vel*, ut alii volunt, *Accidentia*, refers inter Philosophiæ novitiæ seu Cartesianæ Aphorismos: nam 16. nec novitium, sed *Aristotele* vetustiorem, nec *Cartesii* solius, sed multorum ante & post *Aristotelem* Philosophorum, esse, ita demonstravit quatuor disputationibus, hoc anno circa finem *Ianuarii* habitis, *Collega* tuus, ut de eo dubitari amplius non possit. 7. vero Aphorismis,

risimis, à te ex annexis *Disp. de Philosophandi ratione* 1644. 22 Mart. à *Doctissimo* nunc verbi divini Pastore in pago Twisch, *D. Jacobo Soutario*, habitæ & conscriptæ, desumtus, nihil quicquam habet cum Philosophia novitia aut *Cartesii* commune: sed est ipsa mens antiqua *Philosophorum & Theologorum saniorum*: quod discere potes ex *prima selectarum Disp. Voetii, de ratione humana in rebus fidei*. Et docebo te, si nescis. Distingue inter rationem qua & ex qua cognoscimus. 1. Illa est facultas, potentia, & vis hominis, qua aptus est natura ad aliquid apprehendendum, componendum vel dividendum, & probandum: hæc sunt effata & placita rationis atque axiomata à Philosophis cusa. Ratio hic sumitur sensu primo. 2. Fides consideratur, ut adsensus adhibitus testimonio & acceptio rerum propter Authoritatem testantis: sic sane est actus rationis: sicuti compositio & divisio aut discursus: nec opponuntur fides & ratio. 2. ut est habitus infusus seu principium vitale: sic rationis est quædam nova vita, rationem præparans ad divini testimonii authoritatem recipiendam. 3. ut fiducia innitens meritis Christi ad justificationem: sic est actus voluntatis. Quæcunque Ratio per se ex rebus abstrahit & imbibit, componit ac dividit, & quæ ex istis præcognitis per Syllogismum concludit, ea dicitur *scire*: Quæcunque ex eloquio alieni testimonii recipit & enunciata legit, ea dicitur *credere*: si ex revelatione accipiat divina, dicitur fides divina. Sic *Mysteria, quæ fide tenentur, ratione tenentur*, quatenus assensus, qui iis præbetur, actus est rationis: nam cujus, quæso, facultatis esset? Et, si placuisset inspexisse, quæ sequebantur annexa, hoc ipsum non tibi fuisset λίθ☉ ακανόμμμγίθ☉. *Nihil tenetur fide, nisi & ratione teneatur, prout ratio significat id, quo scimus, non, ex quo scimus. Ratio est quæ credit, & non credit, nisi cognoscat, quia fides est notitia.*

Pag. 3. l. 22. *Tam validis singula erant confirmata rationibus, &c.*] Quam hoc falso glorieris, omnes, qui tres illas tuas Disputationes viderunt, judicent: in quibus, ut semper, argumentorum numero certas, non pondere: nam apud te,

Et quæ non prosunt singula, multa juvant.

P. 4. l. 2. *Tres stolidi.*] Non tres illi, sed universa juventus Academica, quæ præsens adfuit, turpiter te ob invectivas tuas, debacchationes in Doctiss. Oppon. & furores tuos, explosit. Cur stolidos nominas, *sapientissime Domine*, quorum duo litterati sunt, & tertius, licet ἄμουσ☉, ingenii felicitate paucis cedit. Si bene novi illos, uti aliqua mihi est cum illis consuetudo, possent illi tres de ingenio cum tribus Steuartiis, Patre, Filio, & Filiolo, facile certare, & judicio, etiam unus, longe superare.

Pag. 4. l. 11. *Nunquam nisi invitus faciam.*] Quia non nisi invitus turpiter te dabis: neque enim potes aliter, quam cum mendacio & calumnia nominare illos Novitios Philosophos.

Pag. 4. l. 24. *Rogavit me Cl. Collega meus, ut eam horam ipsi concederem.*] Nisi *Græcus* essem, phrasim tuam corrigerem, & loco ☿, *ipsi, sibi*, scriberem. Sed vapulat tibi identidem Priscianus. Vid. pag. 6. l. 42. Noto te D. Professor nota Solœcismi. Syntax. Voss. *Si reditur ad nomen tertiæ personæ, quod antecedit, reciproco utimur.* Rogat te D. Collega ut ne se calumnieris amplius.

Pag. 4. l. 38. *Inhumaniter à Collega meo exceptus esset.*] Tuus ille Studiosus

falso

falso conquestus est: dixit enim Collega suus, ipsius esse, ut sequeretur sui sententiam Præsidis; nihil in horam ipsi esse juris: si horam mutare placeret Præsidi, ipsi esse obsequendum. Ille tandem causatus est in patriam sibi redeundum esse, & nisi ante meridiem disputaret, commodissimam occasionem elapsuram; esse enim eodem die sibi abeundum Amsterodamum: nautam Hamburgensem postridie soluturum: quæ ipsa per Epistolam Senatui Academico exponere non puduit: cum tamen pedem extra urbem postea non extulerit; atque ita turpi mendacio & Collegæ, & toti Academico ordini imposuerit, cujus mendacii non decet te esse patronum.

Pag. 5. l. 12. *Duabus Epistolis, quibus famam meam proscindere satagit.*] Cretensem te esse existimarem, nisi te *Scotum* scirem: sed licet non sis, eum tamen agis: ita egregie κρητίζεις. Disputationi *Collegæ* tui, præfixa fuit *Epistola Resp.* ad Amicum *Dedicatoria*, innoxia plane & in qua nullum est iota quod te spectat: nec præfatio te ferit, sed *majorem* hanc ponit. Quicunque non explicatis titulis venenata linguæ spicula projicit, is est Calumniator. Tu convictus propriæ conscientiæ testimonio, facis *minorem*.

Pag. 5. l. 30. *Ego contrarium pluribus argumentis, in meâ de Deo Disputatione prima, quibus Vir Clarissimus respondere non potest, ostendi.*] Furor itaque mentem ita tuam excæcavit, ut glorieris ineptus Thraso ratiunculas tuas solvi non posse à Collega tuo; si vim earum ita metuisset, periculo se non exposuisset publicæ ignominiæ cum hoc Corollarium contra eas posuit. *Quæstio comparata est. An ex 36 argumentis*, quorum titulos, ut ipse loqueris, attigisti magis quam proposuisti, *validissimum sit, quod à testimonio conscientiæ petitur, an vero nervosius, quod petitur ab ordine causarum. Negas* prius, *affirmas* posterius. 1. *Quia argumentum à testimonio conscientiæ non valet in foro externo contra Atheum cui ignota est viri boni conscientia.* Resp. Non requiritur testimonium conscientiæ semper viri boni, sed præsertim mali, non tantum fidelis sed & infidelis: nam & mali & infideles ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis συμμαρτυρούσης NB. αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, & cogitationibus sese mutuo accusantibus aut etiam excusantibus. *Rom.* 2. 15. In genere, omnis hominis conscientia testatur, Deum esse. 2. *Quia argumentum ab ordine causarum in foro simul externo & interno Atheum convincet.* Resp. At quomodo convincet, nisi ejus vis cognoscatur atque comprehendatur? At non cognoscitur aut comprehenditur ab omnibus. Propone homini plebeio & rudi, uti illud vulgo ex Aristotele, Thoma, & Scholasticis proponi solet, vide an sit ejus vim percepturus: At conscientiæ vim omnes, velint nolint, persentiscunt. 3. *Quia certior demonstratio speculativa qualis posterior, quam practica qualis prior.* Resp. Imo contra, demonstratio practica ex testimonio conscientiæ qua Deus cognoscitur, certior est, quam speculativa, qua ex ordine causarum idem esse evincitur, quia terminus medius ibi certior est quam hic, quod ex *Resp. Cartes. ad obj. prim. p.* 114. discere potes. 5. *Quia posterius non modo certius, sed & evidentius saltem in disputando.* Resp. At alterum certius, & evidentius est in vivendo, & apud eos valet, qui nunquam disputant. 6. *Quia testimonium conscientiæ magis hominem ipsum, cui inest, convincit, quam alium.* Resp. At, quia omni inest, omnem convincit; &, si quis sit extremæ istius impudentiæ, ut excutere velit, non tamen

potest.

potest. Quod ergo apud omnes valet est validius & nervosius eo, quod apud paucos. *Excipis* Pag. 6. l. 5. *sic esse facilius sed non firmius.* Resp. Cum sermo est de demonstrationibus, ut hic; quæ est universalior, & cujus vis à pluribus percipitur, ea est & facilior, & firmior, & nervosior aliâ. *Excipis. Contradici Paulo Rom.* 1. 19. 20. Resp. At vero, an Paulus ibi unum argumentum pro notitiâ Dei naturali altero esse efficacius, & pro te pronunciat? Apostolus ait, *gentes illas, quas dixerat veritatem in injustitiâ detinere,* vers. 18. *esse inexcusabiles,* vers. 20. *quia, quod de Deo cognosci potest,* sc. naturaliter, *manifestum est in illis,* id est, ipsorum animis. Probat hoc duplici ratione. 1. *Nam Deus manifestum fecit iis.* Hæc est notitia Dei naturalis insita & subjectiva, à testimonio conscientiæ: 2. *Nam ipsius invisibilia jam inde à condito mundo ex rebus factis intellecta pervidentur, æterna ejus tum potentia, tum divinitas.* Hæc est notitia Dei naturalis acquisita & objectiva, à rebus creatis, motu & ordine causarum. Hæc mens est Apostoli, juxta *Bezam* in Notis, *Gomarum* in explic. ejus loci, *Alting.* Probl. 1. & *Interpretes N. T.* ubi hic est aliquid pro te aut contra Collegam? Disce melius argumentari, bone vir.

Pag. 7. lin. 11. *Multi sunt Neoterici Philosophi quibus nomen Legio, aut est, aut esse debet,*] Alludis ad locum *Marc.* 5. 9. & *Luc.* 8. 30. ubi *Spiritus impurus,* qui hominem obsederat, rogatus à *Christo* quod sibi esset nomen, Respondit, *Legio* mihi nomen est, quia multi sumus. Siccine vero? *Neotericos Philosophos Legionem* vocas? eos non nisi Diabolorum & impurissimorum spirituum confluxum & grandem facis numerum? Hæcne ex ore tuo, à calamo tuo, proficiscuntur, Vir sancte ac propemodum Puritane? Hæccine puritatis tuæ & sanctimoniæ sunt specimina? *Qui dixerit fratri suo, Raca, tenebitur consessu, qui dixerit Fatue, tenebitur gehennæ ignis. Matth.* 5. 22. Quæ te ergo manent judicia, qui Fratrem ac Fratres, Neotericos Philosophos, vocas Diabolos & Diabolorum Legionem? Legio decem constabat cohortibus, habebatq; peditum sex millia centum, equites septingentos triginta. Totidem tu *Dæmonas* inesse ais *Neotericis Philosophis?* atque etiamnum te Calumniatorem dici, ægre fers? *Parcius ista viris, &c.*

Pag. 7. lin. 28. *Deum Immortalem testor.*] Etiam per Deum juranti non habebitur fides: ita eam hisce Vindiciis prostituisti ac perdidisti.

Pag. 7. lin. 24. *Cum sit quæstio facti.*] Hoc unicum est in toto libello tuo Vindiciarum quod possit dici sanum, quod bene distinguas inter *quæstionem facti & juris. Nulla hic est quæstio juris,* ut loqui solemus. Non est controversum, inter te & tuum Collegam, An sit in totum sensibus diffidendum, & de omnibus dubitandum, an negandum sit, Deum esse, an verum sit Infantes in utero Matris habere actualem Dei notitiam, an Deus sit causa efficiens vel conservans sui ipsius? *sed est quæstio facti.* An dentur tales Neoterici Philosophi, qui ista asseruerint. Hoc affirmas Professor Physicæ & Metaphysicæ in disp. 1a. de Deo. Negat Collega. Affirmanti tibi incumbit probatio.

Pag. 7. lin. 34. *In opinionibus tuis adeo sis inconstans & varius, ut ex disputationibus liquido constat.*] Didicit hoc tuus Collega non diutius se adstringere opinioni, quam ratio eam probat: & experitur sæpe ingenii vires, quousque ratio eum ducere valeat. Vbi tamen aliquid clare ac distincte percepit, circa id sententiam non mutat.

b Vbi

Vbi ex dubitationibus emersit, non relabetur in eas. Et distingue Disputationes, quas facit Author, & quas Præses tantum sustinet: in his varius est & inconstans: nec id sibi dedecori, sed laudi putat. Sic enim plus discit, quia plus inquirit. Componas te ad ipsius morem & bene feceris; sed vereor ne frustra moneam: Nam,

Quæ Juvenes didicere senes dediscere nolunt.

Pag. 8. l. 6. *Novit Deus virum quendam ex tua secta, &c.*] Contigit mihi homini peregrino ista felicitas, de qua mihi impense gratulor, ut aliquam cum viro isto (quem verissime dicis merito suo celeberrimum) contraxerim amicitiam, qui an *insitas esse à natura infantibus in utero matris notitias Dei actuales*, contra te sustinuerit, rogatus negat. Oportet mendacem esse memorem. Quid si Vir iste doctissimus, dixisset, *infantibus in utero matris actu inesse notitiam Dei?* Errassetne tuo judicio? At hoc non est idem cum eo quod tu fingis, esse in infantibus in utero matris actualem Dei notitiam. Quid si aliarum rerum ideæ dicantur inesse actu infantibus? putasne sequi inde infantes statim res illas cognituros? Distingue, *Magister distinctionum*, inter *esse actu* & *esse actuale*. An non in Geometra dormiente est *actu* scientia rerum Mathematicarum? non tamen *actualis*. Ideæ rerum possunt esse in mente humana actu, ut tamen res non cognoscantur actualiter: quia deest attentio & adversio aut animadversio, qualis in infantes non cadit. Quid si quis *Paradoxologus*, dicat, non Dei tantum, sed omnium omnino rerum ideas menti humanæ innatas? Anne concluderes, Infantes in utero matris omnia cognoscere? Sed prius illud non dabis. Verum putasne res ipsas per sensuum organa sui ideas imprimere menti? explica igitur, quomodo idea trianguli in mente oriatur, cum figura ista sensus ferit; an per motum istum nervorum nascitur? ac non potius excitatur tantum? Neque vero sunt ideæ istæ innatæ, notiones aut axiomata diversa à mente. Nulla rationi connascuntur axiomata complexa, nullæ notiones menti nascenti sunt insertæ: nec infans cognoscit hanc notionem, *Deus est*, nec hoc axioma, *totum est majus sua parte*, nec hanc enunciationem, *triangulum habet tres angulos*: attamen est in mente, incomplexa quædam vis & potentia naturalis formandi axiomata, quædam ex se, citra ullam rerum per sensus observationem, uti, *Deus est*, quædam per experientiam adjuta, & quasi promota, à rebus extra se, quæ occasionem menti præbent istam vim in actum deducendi, & ideas sui non indunt, sed latentes quasi exsuscitant. Sed quo vehor? totus abreptus sum. Ad te redeo, D. Philosophe: *Collega tuus*, si dixit p. 8. l. 12. *Socinianum esse, notitias insitas negare*, verum dixit. Vid. *Soc. in prælect. c.* 2.

Pag. 8. l. 33. *Perexiguum est claritati tuæ cum bonis Angelis commercium.*] Ergo cum malis. Nam rogasti, unde Collega hoc haberet, quod scripserat, an à bono aut à malo aliquo genio? non à bono, assumis. Ergo quid superest? Hic iterum prodis te, quanto amore & fraterna charitate complectaris Collegam, quam placide cum eo agas, quam non sis calumniator & mali genii socius. Sed transeant hæc cum cæteris erroribus.

Pag. 9. l. 5. *Reliqua* 14. *non ausus es attingere.*] Quam suum cuique pulcrum! Quam placet simiæ deformis foetus! Argumenta tua 14. aut laborant ignoratione Elenchi, aut petitione principii, aut falsam substernunt hypothesin: quod, qui legunt,

gunt, jam vident, & rident tuam imperitiam, etiam bimestres Philosophi ac pueri. Verum argumentum penitius examinemus: sic argumentaris: *Si ulla nobis innata Dei notitia* (cur non dixisti idea, ut dicere debueras) *vel est infusa, vel acquisita: si prius, non est naturalis, vel à natura insita.* Negat tuus *Collega* hanc sequelam: neque enim pugnant ipsi, esse *infusum*, & esse *naturale* seu à natura insitum. *Infusum* dicitur illi id omne, quod nec essentia est subjecti, nec pars ejus, nec ab alterutra fluit immediate, nec actuum frequenti exercitio est acquisitum. *A natura insitum* esse est hic, quod ab ipso nativitatis & naturæ productæ momento originaliter inest, non vero quod à naturæ principiis emanat. *Naturale est* hic ei, quod in natura est eique ut subjecto penitissime infixum, quod naturam ornat, perficit, juvat, & naturale est subjecti complementum, quod naturaliter propagatur, & naturali generatione communicatur, & ut terminis tuis, in quibus tua omnis consistit eruditio, hoc efferam: Naturale ipsi hic dicitur *subjective, perfective, propagative:* non vero *constitutive*, quod naturam constituit, nec *consecutive*, quod eam immediate consequitur. Reliquæ enim hujus vocis, *Naturale*, distinctiones, quas ex *Armandi de Bello visu*, aut *Castanai* Distinctionibus, aut *Goclenii* Lexico, infarcis p. 10. nihil huc faciunt. Sic jam infert tuus *Collega*. Si id quod est infusum non sit naturale, subjective, perfective, propagative, originaliter, ergo justitia, quæ vulgo dicitur originalis, non fuit naturalis istis 4. modis, quia fuit infusa, id est, nec fuit essentia hominis, nec pars ejus, nec ab alterutra immediate fluxit, nec actuum frequenti exercitio est acquisita: alioquin tolli non potuisset sicuti fuit sublata à primo homine & est à nobis. At vero hæc fuit naturalis, & subjective, quia rectitudo ista actionum motuumque, & dotes illæ corporis, animæ, potentiarum, fuerunt in natura ut in subjecto; & perfective, quia ut naturæ primi hominis conveniens eam perficiebat justitia ista & rectitudo; & propagative, quia naturali generatione fuisset propagata; rectus enim & justus Adam genuisset rectos & justos liberos: originaliter, quia fuit primo homini concreata. Ergo id quod infusum est, id est, nec essentia subjecti, nec pars essentiæ, nec aliquid ab ea emanans, nec actuum frequenti exercitio acquisitum, simul est naturale & à natura insitum. Responde hic ad majorem si potes, vel minorem tui *Collega*, *Professor* σοφώτατε. Sic peccatum originale, eadem terminorum significatione, est & naturale & infusum in nobis; & infusum à parentibus dicit *Corol.* 3. tui *Collega*. Vt mirum sit, quod ausis tam aperte mentiri, & quod admirationem omnem superat, invocato Dei nomine, cum exclamas p. 9. l. 37. *Dic mihi per Deum immortalem, quis unquam, qui terminos tenuit, proprie peccatum originale habitum à Deo infusum seu supernaturale (quomodo habitus infusus à me hic accipitur) vocaverit: hac ratione secundum te Deus erit Author peccati.* Noli tam temere Dei nomine uti, aut abuti potius. Vbi locorum dicit *Collega* tuus, peccatum originale esse habitum à Deo infusum sive supernaturalem? dixit esse à parentibus infusum & naturalem habitum. Et ostendi jam pro ipso: utrumque hoc optime dici & bene convenire. Aperte hic impingis in 3. & 9. Decalogi præceptum. Vide insuper, an non insignis sit Calumnia, cum pag. 10. lin. 5. dicis *Collegam hinc novitati studere in Theologia.* Nosti pag. 9. lin. 42. *Grammatice & oratorie* dici, peccatum originale à parentibus in liberos transfundi:

fundi; sed infusum dicit, tuo judicio, sola balbutiens Philosophia. Quantum te novveris in Grammatica & oratoria, elegantissima omnes docuit, quam cum primo in Academiam adventu, habuisti, oratio inauguralis, docet hic nunc libellus: & qui parentes transfundunt in liberos originalem labem eandem infundunt. Miseret me tui, Grammatice, Rhetor, Philosophe, omnium eminentissime.

Pag. 12. l. 31. *In veritatem fringas & ringas.*] Hic iterum Grammaticæ tuæ & oratoriæ luculentum edis specimen. Interim ad *Corol.* 4. *tui Collega* ita 6. paragraphis te geris, ut causæ tuæ defectum significes, & herbam porrigas: mones eum, ne contra conscientiam suam disputet: Tu hoc mones, & ipse contra conscientiam agis? quod ex hoc libello satis est ostensum.

Pag. 13. lin. 5. *Deum mihi testem esse.*] Etsi millies verbis Deum testem invoces, te non injurium esse in Neotericorum Philosophorum famam, nomen, conscientiam, dum ista opinionum monstra eis affingis, nec tamen eos nominas, protestatio tua apud nullos te à calumnia liberat: Et præstaret non ita te esse promtum in invocando Dei testimonio: hoc etiam hypocritæ solent facere, ut coram hominibus sancti videantur: interim non te purgas.

Pag. 13. lin. 19. *Adjuro te.*] Videris ex Philosopho factus exorcista: qui enim incantationibus quibusdam Dæmones allicit, adjurare dicitur aliquem, & Græcis meis ἐξορκίζειν. Nam si adjurare significatione sumitur qua simplex, absque accusandi casu fere poni, in scholis didici. *Terentius:*

Adjurat se non posse absente Pamphilo durare.

Pag. 13. lin. 19. *Per sacras conscientia tua reliquias.*] Vtinam tibi tam integra foret conscientia tua quam est *Collega* tui: non sic egisses aut scripsisses.

Pag. 13. l. 29. *Apud Authorem tibi familiarem*, pag. 117. &c.] Hic demum citas Authorem aliquem ut te purges. Cur non in antedecentibus citasti? sed veritus es, ne deprehendereris esse malæ fidei homo & [illegible], uti hic nunc deprehenderis. Hic nunc omnis impudentiæ laxas claustra. Vbi frons? redi ad pudorem, propudium hominis! Scribis inveniri in *Cartesii Medit.* pag. 117, 118, 119, 120. *Deum esse sui causam efficientem & conservantem, idque non modo negative sed & positive,* idque non nimis improprie. At vero, famosissime Domine, quem honoris causa non nomino, te esse crassum Sophistam, & committere Sophisma à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, docebunt, quæ subjicio, Authoris verba. Pag. 117. *Admitto aliquid esse posse, in quo sit tanta & tam inexhausta potentia, ut nullius unquam ope eguerit, ut existeret, neque etiam nunc egeat, ut conservetur: atque adeo sit* quodam modo sui causa, *Deumque talem esse intelligo: nam quemadmodum, etiamsi fuissem ab æterno, ac proinde nihil me prius extitisset, nihilominus quia considero temporis partes à se mutuo sejungi posse, atque ita ex eo, quod jam sim, non sequi, me mox futurum, nisi aliqua causa me* quasi *rursus efficiat singulis momentis, non dubitarem illam causam, qua me conservat, efficientem appellare: ita, etiamsi Deus nunquam non fuerit, quia tamen ille ipse est, qui se conservat revera,* videtur *non nimis improprie* dici posse *sui causa. Vbi tamen est notandum*, non intelligi conservationem quæ fiat per positivum ullum causæ efficientis influxum, *sed* tantum quod Dei essentia sit talis ut non possit non existere. An non hoc idem

est,

est, quod sui dicunt *Scholastici*, Existentiam esse de essentia Dei. Quibus verbis si res fuisset à *Cartesio* proposita, nihil venisset culpandum. Pag. 118. nihil invenio, quod sinistre possis interpretari. Pag. 119. & 120. Hæc tibi verba erunt reprehensioni obnoxia, quia in te *nigra est succus loliginis atque Ærugo mera. Quamvis enim* dicere non opus *sit, illum, sc.* Deum, esse causam efficientem sui ipsius, *ne forte de verbis disputetur, quia tamen hoc, quod à se sit, sive quod nullam à se diversam habeat causam, non à nihilo sed à reali ejus potentia immensitate esse percipimus, nobis omnino licet cogitare illum* quodammodo *idem præstare respectu sui ipsius, quod causa efficiens respectu sui effectus, ac proinde, esse à seipso positive.* Et paulo post: *Imo etiam hic addam, quod tamen ante non scripsi, illam causam, in qua tantum potentiæ est ut rem extra se positam conservet, tanto magis seipsam propria potentia conservare, atque adeo à se esse.* Quod tamen non sic esse capiundum, ut tu accipis cum aliis parum candidis, quasi Deus se conservet, ut res alias, influxu positivo, docent resp. quartæ ad obj. pag. 267. *Quod Deus sit à se positive & tanquam à causa: ubi tamen intellexi rationem, propter quam Deus non indiget ulla causa efficiente ut existat, fundatam esse in re positiva, nempe in ipsamet Dei immensitate, qua nihil magis positivum esse potest: ille vero probat,* Deum à se non produci, nec conservari, per positivum aliquem causæ efficientis influxum, *quod* plane etiam affirmo. Vide nunc *Thesim tuam* 5. *Disp. poster.* & obtestor te, admirabilis Philosophe, per sacras conscientiæ tuæ reliquias, an non vere dixerit tuus *Collega, Coroll. 6.* te audacter & calumniari & mentiri. Nam vel inspexisti, & legisti hæc verba, vel non: si posterius, est falsitas Logica, & thesis tua imputat Cartesio quod non est: si prius, est falsitas Ethica, & verum ac merum mendacium; & thesis tua imputat Cartesio, quod non esse in ipso scivisti: quicquid sit, inspicere & legere tenebaris totum Authorem, ut ex vero ei opinionem talem affingeres: itaque est, ut lenissime dicam, ac termino tibi admodum grato, tuum interpretativè mendacium. Sed cur non legisti verba p. 272. ubi verba initio p. 117. statim posita repetit & explicat: *Vbi verbum,* sui causa, *nullo modo de efficiente potest intelligi, sed tantum quod inexhausta Dei potentia sit causa sive ratio, propter quam causâ non indiget: cumque illa inexhausta potentia sive essentia immensitas sit quam maxime positiva, idcirco dixi rationem sive causam, ob quam Deus non indiget causa, esse positivam: quod idem dici non posset de ulla re finita, quamvis in suo genere summe perfecta.* Et, ut tibi sociisque calumniatoribus os occludatur, *pag. 273. Itaque possim ultro admittere, quæcunque à Viro Cl. afferuntur, ad probandum, Deum non esse causam efficientem sui ipsius, neque se conservare per ullum influxum positivum, sive per sui reproductionem positivam, quod solum ex ejus rationibus efficitur; sed, ut spero, etiam ille non negabit, immensitatem illam potentiæ, propter quam Deus non indiget causa ut existat, esse in ipso rem positivam, nihilque ejusmodi, quod sit positivum, intelligi posse in ullis aliis rebus propter quod causa efficiente non egeant ad existendum, &c.* Iudicent omnes, qui th. 5. tuam viderunt, & legerunt hæc verba Cartesii, sisne calumniatus ac mentitus, necne. Nullius hic tribunal, ne iniquum quidem si esse velit, quia non potest, hic reformidat tuus Collega: cui hoc facete exprobras, quod Cartesius sit Author ipsi familiaris: profecto multa se ex eo didicisse, & quotidie plura addiscere,

 non

non semel mihi inter sermocinandum confessus est, & conquestus est sæpe, quod non liceat per vocationis onera ipsi se reddere familiariorem.

Pag. 13. l. 30. *Hos Authores nominare est contra Illustr. & Ampl. Curatorum mandata.*] Intellexi ex tuo Collega, solius *Cartesii* vetitum esse nomen ne nominaretur; sed insuper, ne de ejus opinione, vel sententia disputaretur: quod cum feceris, te judice, perjurii reus es, quia juramento fidem te præstiturum D. Curat. Mandatis, ut ipse hic refers, promisisti. Nomina ergo alios præter *Cartesium*, quem falso te citasse demonstravi, si potes: Hoc enim tibi interdictum non est. Quæ apud te sequuntur ista pag. & ad finem tuarum Vindiciarum, signa sunt motæ mentis & animi perturbati.

Pag. 14. l. 12. *Ridiculum hoc figmentum, & Diaboli inventum, quo recta ad Atheismum sternitur via.*] Hæc epitheta & encomia attribuis omnium præjudiciorum rejectioni: nec denudandam esse mentem omnibus præjudiciis, ais, à te probatum pluribus argumentis, quæ *Collega* tuus solvere, nec possit, nec ausit. Sed, Professor gloriose, una est omnium solutio: laborant quippe omnia ignoratione elenchi: nec enim adhuc scis, quid præjudicii voce significetur. Docebo ergo te. *Præjudicium* est, judicium de rebus sensibilibus habitum per sensum solum ante plenum perfectumque rationis usum: quia enim sensus longo tempore exercent operationes suas, antequam homines ad rationis usum perveniant, &, ubi in pueritia ad eum qualemcunque pervenerint, possident eum imperfectum ac semiplenum, donec ad ipsam ætatis aut juvenilis aut virilis *ἀκμὴν* adscenderint, quo tempore rationis suæ sunt maximè compotes, hinc est, quod multa existant in hominibus de rebus sensibilibus judicia, solo sensuum ductu accepta, quæ sub incudem & examen rationis nunquam sunt vocata: atque ex istis judicant postea homines *ἀναλόγως*, & à contrario de rebus insensibilibus & spiritualibus: atque hæc judicia, merito vocantur *præjudicia*, quia præhabentur, antequam rationis seu mentis judicium fuerit advocatum. Atque hæc judicia ita præhabita, ac needum à rationis judicio examinata, incerta sunt, quia ab incerto profecta principio: quare merito de iis dubitatur: &, quia omnes sic discimus, solorum sensuum ductum secuti, omnis nostra cognitio à sensibus hausta incerta est, ac merito suspecta: à qua incertitudine & falsitatis suspicione, ut liberemur, quæcunque hoc modo & medio didicimus, cognovimus, scimus, & quæ judicia sic de rerum sensibilium essentiis ac naturis tulimus, ea ut dubia, & incerta, imo ut falsa (nam talia esse possunt, & quis scit an non sint, quamdiu rationis judicio & examini non fuerunt subjecta) merito rejiciuntur, eo fine, ut certiora judicia in eorum locum substituantur ac surrogentur. Quare dubitatur de judiciis ante factis, non ut semper dubitemus, sed ut ad majorem certitudinem assurgamus. Atque hic duæ sunt notandæ hypotheses. 1. Poni aliquem jam rationis & judicii firmati, qui per sensus didicerit ab infantia quæcunque cognovit, ut omnes solemus, ad istam usque ætatem, qua compos plenissime rationis est factus. 2. Quæri, cognitionem certam rei existentis an & quæ ac qualis sit, & cognitionem veritatis incomplexæ, non complexæ. Talium itaque præjudiciorum eversio, figmentum est ridiculum, Diaboli inventum, & via ad Atheismum? os impudens. Imo nonne via potius est ad immotam cognitionis

certi-

certitudinem? Hæc paucula diſſlant omnium tuorum argumentorum fumum.

Pag. 14. l. 16. *Cum tam faſtuoſe omnium Academiarum Theologorum ſententiam deſpicias.*] Quam das operam, ſuavis homo, ut *Collegam* cum omnium Academiarum Theologis committas. Hæc eſt methodus cryptica tibi & ſociis uſitata, ut quodcunque non accipitis, ſtatim ad id denigrandum, Theologorum opem imploretis, qui id ſtatim horrendum, impium, Atheum, blaſphemum, pronuncient ac proclament. Sed quis eos Dictatores fecit & Iudices in Philoſophorum quæſtiones.

Pag. 14. l. 21. *Vno verbo tibi reſpondeo falſum eſſe, quod dicis.*] Quam eleganter? ſic omnia ſolve, D. *Præſes*, quæ objiciuntur, & brevi defunctus fueris.

Pag. 14. l. 21. *Nonne notitia Dei inſita proprie ſignificat inſitum cognoſcendi actum?*] Ego jam te docui, ſi, Philoſophorum maxime, doceri te pateris, ad *pag. 8. l. 6. Vindic. tuarum*, eſſe hoc πρῶτον ψεῦδος. Didactum debes.

Pag. 15. l. 5. *Ab auctoritate humana.*] Nunc *Calvini* teſtimonium eſt infirmum tibi argumentum, & ipſe eo es uſus in hiſce *Vind. pag. 6. l. 26.* Quo tibi licet, uti non licet *Collega*? Egregie vero!

Pag. 15. l. 6 *Ergo naſus tuus eſt in loco minus mundo & minus honeſto, quem vocant, &c.*] Proh pudor! tam ſpurca proficiſci ab homine præter propter ſexagenario, Profeſſore Primæ Sapientiæ! verum fatebor: niſi præfixum vidiſſem *Adami Steuarti* nomen huic vindiciarum fœdo ac fœtenti libello, à ſcurra quopiam ex trivio profectum fuiſſe credidiſſem. Siccine depudere didiciſti? Præcepta lege de urbanitate & verecundia, lib. 4. Eth. ad *Nicom. Ariſtotelis* c. 8. & 9. & melius diſce.

Pag. 15. l. 24. *Dogma eſt Pontificium & Lutheranum.*] Sic argumentaris ſubtiliſſime D. Profeſſor. *Si naſus tui Collega eſt in loco corporis totali, ergo pars eſt toti aqualis: ſed hoc eſt Pontificium & Lutheranum: ergo, &c.* Reſp. Concedit tibi totum tuus *Collega*: neque enim ita inſanit, ut dicat partem corporis eſſe in toto loco in quo eſt corpus. Vide igitur, qua conſcientia citra falſitatis crimen ipſum facis tranſire in caſtra Pontificiorum & Lutheranorum? Sed illa eſt peculiaris tibi ac tuis ars: qua eadem utentem audivi elapſa ſeptimana filium tuum Magiſtrum, cum adverſus Collegam tuum de *Formis* opponeret, qui cum ab eo, *Potentias naturales quaſdam intendi & remitti, ſecundas* nimirum & *organicas*, reſponſum accepiſſet, illico exclamavit: *Hoc Pontificium eſt*: ſic proprietates tolluntur à ſubjectis. Eſt cur tibi glorieris, quod ſic patriſſet filius. Sed pergis luculenta hic tuæ Philoſophiæ ſpecimina promere. Lin. 25. *Si ſingulæ partes corporis ſint in ſingulis locis partialibus. E. totum ratione ſingularum partium eſt in pluribus locis partialibus. Ergo idem numero corpus poteſt in pluribus ſimul locis exiſtere naturaliter*, quod erat *Corol. Diſp. tua. 5. Maji, 1646. habita.* Sed vero, illuminatiſſime Domine, non vides pro tua ineffabili ſapientia, hic te committere ignorationem Elenchi. Hæc eſt quæſtio, *An unum corpus poſſit eſſe in pluribus locis propriis, adæquatis, totalibus*, ut tu loqueris cum Scholaſticis, *ſic, ut quod totum hic eſt, idem quoque numero ſit totum alibi, citra ſui diviſionem?* An non jam vere dixit *Collega* tuus, eſſe effugium, quod quæſiviſti in locis tuis partialibus? An non ſtatum controverſiæ aut ignoraſti,

aut

aut pervertisti? hoc non vident jam omnes? Vident & rident; ac jam debes & fecisti te ludibrium tuis sectariis ac servis, qui rogant ubi mens tua fuerit, cùm Vindicias scriberes, & jam exclamant:

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ
Δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.

Sed perge Philosophari, lin. 36. *Dico tibi me credere, unum idemque corpus in pluribus locis separatis divinâ virtute collocari posse.* Quem innoxiis affricare studes sine causa Papismum ab eo hic te purga. Nunc te commendo Theologis: lixivium ferant, ut hunc nævum, ne tuos discipulos contagio inficiat, diligenter ex te eluant: ac tunc sacerdoti te ostende, qui maculas abstergere & sordes repurgare solet, ut te consideret, de puritate tua pronunciet ac sententiam dicat. Tu quod hic credis, non credidit Amphitruo Plautinus, cui Sosia non potuit persuadere, domi se esse & foris simul hero adesse. Sic Dialogus se habet. Act. 1. Sc. 1. in Amphitr.

AM. *Scelestissime audes mihi prædicare id,*
Domi te esse nunc qui hic ades? SO. *Vera dico.*
AM. *Tun' me, Verbero, audes herum ludificari?*
Tun' id dicere audes, quod nemo unquam homo antehac
Vidit, nec potest fieri, tempore uno
Homo idem duobus locis ut simul sit.

Sed explicas hoc tuum paradoxum. *Existimo, Deum corpus aliquod, puta, humanum, dimidiare, postea partes à se invicem sejunctas conservare, spirituum effluxum impedire, & animam in utraque parte corporis dimidiati conservare posse: neque hoc pugnat cum NB. divinarum litterarum monumentis aut Theologorum & Philosophorum nostrorum placitis: addo, facta hac partium separatione, unum hominem in duobus locis separatis naturaliter collocari: denique hoc nullo modo cum nostrorum sed cum Pontificiorum potius Philosophia & Theologia pugnare; si potes hoc oppugna.* Resp. Quid vis ut hic *Collega* tuus oppugnet: *An antecedens? Deum sic posse corpus dimidiare & in dimidiatis partibus & sejunctis animam ponere?* Sed ille non libenter disputando involat in potentiam Dei ne ab ea opprimatur: verum cedo ac credo tibi, id Deum posse: quæro: sitne futura eadem numero anima, quam Deus ponet, in divisis & disjunctis partibus? hic enim dubito. Hoc primum expedi, & tum argumentabor contra te. *An consequens seu consequentiam?* Ego pro ipso respondeo, & ἀρνητικῶς & συγχωρητικῶς. 1. *Nego* consequentiam, quia non erit unum numero corpus, imo ne corpus quidem erit, quia non erit continuum: rupta continuitate rumpitur unitas totius corporis: sed doceat me doctor subtilis. Quomodo id quod locis est divisum, & hic & alibi ac non locis mediis, sit unum idemque corpus. Vnitas est indivisio; unum essentia habet indivisam essentiam: unum loco habet indivisum locum. Divisum esse & indivisum esse, sunt contradictoria. Corpus unum idemque numero est indivisum: at si pluribus simul sit locis, erit divisum. Ergo simul divisum & indivisum. *Tu hæc oppugna, si potes.* Sed 2. Resp. *per concessionem.* Nam dato hoc, hominem, dimidiatis & sejunctis corporis sui partibus, unum collocari duobus locis separatis, nihil etiamnum habes: quia quæstio est, de uno eodemque corpore citra ullam sui divisionem spectato. Hæccine tua est Philosophia, qua juventutem imbuis,

quam

quam ita exosculariis & in deliciis habes præ Philosophia *Cartesii*? hisce glandibus pastis veritatis alumnos? Si me hominem peregrinum audirent Studiosi, paterentur te frui & gaudere tuis ineptiis & infrugiferis speculationibus, & solidiora veritatis & minus periculosa ac magis seria quærerent apud tuum *Collegam* Philosophiæ fundamenta.

Pag. 16. lin. 31.] *Esse vero à se positive, est, Deum in se esse, quod prius non habebat, influere.*] Cita locum ex *Cartesio*, qui phrasi ista est usus, ubi hic sit sensus & explicatio ejus. At quæ ad *pag.* 13. *lin.* 29. *Vindic.* protuli loca, plane contrarium significant. Quare & hic iterum veritati parcit. Si vero loca ex *Cartesio* ante allata conferantur cum locis *Baronii*, *Calvini*, & *Patrum*, videbit universus orbis quam impudenter & falso exprobres *Collega* tuo; eos falso esse ab ipso citatos: quare ut eum hic etiam à tua liberem calumnia, non detrectabo laborem in describendis singulorum verbis. Sic loquitur *Baronius Exercit.* 1. *art.* 2. *parag.* 3. *Si quis quærat, undenam sit, quod Deus existat & non possit non existere: nulla potest afferri ratio præter hanc unam, videlicet*, quia ejus essentia est infinitæ perfectionis, id est, *omnem perfectionem in se claudit atque adeo etiam existentiam: unde patet*, Deum *recte dici vi suæ essentiæ existere*. *Calvinus Instit.* l. 1. c. 5. *parag.* 6. *Iam ipsa potentia nos ad cogitandam ejus æternitatem deducit: quia æternum esse* & à seipso principium habere, *necesse est, unde omnia trahunt originem.* *Hieron. Tom.* 9. *in Epist. ad Ephes. c.* 3. *Et quomodo nomen commune substantiæ, sibi proprium vendicat Deus? illa, ut diximus, causa; quia, cætera, ut sint, Dei sumsere beneficio: Deus vero, qui semper est, nec habet aliunde principium, & ipse sui* origo est, suæque causa substantiæ, *non potest intelligi aliunde habere quod subsistit.* *Augustinus l.* 7. *de Trinitate cap.* 1. *Quapropter, qua causa est illi ut sapiens sit, ipsa illi* causa est ut sit. *Augustinus l.* 83. *quæstionum* 15. & 16. *quæst. Deus omnium quæ sunt, causa est. Quod autem rerum causa est, etiam sapientiæ suæ* causa est: *nec unquam Deus sine sapientia sua: igitur sapientiæ suæ* causa est *sempiterna*. Iudicet totus mundus, an non phrases istæ Patrum longe sint duriores Cartesiana phrasi, qua Deus à seipso dicitur esse positive. Iudicet Deus inter te & Collegam tuum, qui si hic falsus est, ut non est, erit quoque falsus D. Revius, qui eadem loca citat primus in eadem causa Analect. Theol. Disp. 24. th. 2. sed benigniori interpretatione emollit in sua adspersione Calumniarum pag. 18. 19. Quam nunc, te dimisso, pariter commentariis illustrabimus: nam & hoc scriptum, uti tuum, breviculum quoque est. Tuum unius est, hoc sesquifolii. Nosti vero illud:

—— *Brevis esse laboro,*

Obscurus fio, ——

Quare & huic lucem fœneremur nostris notis.



PHILALETHII ELEVTHERII ATHENIENSIS,

NOTÆ

Ad Adspersionem Calumniarum JACOBI REVII.

LVbet exordiri hasce Notas istis apud *Terentium* verbis:

Quod in hujus hominis remedium inveniam iracundia?
Loquarne? incendam. Taceam? instigem.

Loqui tamen visum est, non tacere, ut abstergam Amico meo adspersas maculas.

Pag. 2. *Tibi Ecclesia.*] Qui quinque foliorum *Considerationem* suam *Deo Patri*, nunc sesquifolii *Adspersionem calumniarum Ecclesiæ Matri*, in injustissimæ sollicitudinis testimonium offert: digna sc. sacrificia, quæ in conspectum Dei & Ecclesiæ veniant. Præstaret non unius vel alterius diei sed victura Deo & Ecclesiæ offerre scripta. Verum, quæ seipsam parum commendat, & *Consideratio*, & *Adspersio Calumniarum*, à splendidis dedicationum titulis eam emendicare debuit.

Pag. 3. *Vel nunquam vel non ilico.*] Quam magnifice de te sentis: quam præclarè loqueris; non hic tantum sed sparsim per totum libellum: sed

Propria laus sordet.

Et,

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse:
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

nimium tibi Suffenus es.

Ibid. *Argumentis densa.*] Sed quæ dissipantur, in fumum abeunt, & difflantur penultimæ *pag. in Praf. Med. & p.* 158. *Epist. ad Dinet.* verbis. *Considera* diligenter.

Pag. 4. *Expungi à me aut corrigi posse.*] Mera ἀυθάδεια. Norunt, qui te norunt,

nomine, quam sis duræ homo cervicis, & [illegible] nescius.

Ibid. *Integram victoriam cessisse.*] Iactantia & Thrasonismus. Et triumphum canis ante victoriam.

Ibid. *Muliebria convitia in chartas miseras confecerint.*] Insipida te, verum dices.

Ibid. *Crambe recocta.*] Sed quæ mortem attulit Calumniatoribus.

Ibid. *Præfatione horrificam.*] In verbis nihil est horrificum, sed in rebus. Horrendum est, tot vibrare in proximi insons caput convitiorum & calumniarum fulmina.

Pag. 5. *Petulantia.*] Petulantia est dicere quod res est? Itane vero? Vni licebit acerbissimè calumniari, & alteri non licebit eum calumniatorem vocare, nisi petulans audiat? Vni licebit falsissimè mentiri, alteri non licebit eum mendacem dicere, nisi petulantiæ nota à te notetur. Vtinam tu tam liber fores à calumniis & mendaciis, quam sunt à petulantia, quæ sugillas. *Corollaria.*

Pag. 6. *Lethales Plagas.*] *Nondum hæret lateri letalis arundo.*

——— *Non oppugnatoribus istis*

Tempus eget. ———

Nimium tibi places, ô bone: sed ad singulas paginas ac fere lineas recurrit ista tua φιλαυτία. Laudet te os alienum. Atqui hoc fit quoque: nam

Ibid. *Viri Cl. & Eruditissimi iis scriptum meum laudibus evehunt, &c.*] Illi tibi palpum obtrudunt. Qui sunt isti? ADAMVS fortasse STEVARTIVS inter eos. Credo equidem: sic mulus mulum scabit. Ego alios audivi Viros, item Clariss. & eruditissimos, ac cordatissimos, qui tuis adulatoribus non cedunt, longe aliter judicantes ac pronunciantes, qui cum *Præfationis Authore* maculam tuo nomini adspersam ista scriptione existimant, quam non abstergis hac abstersione, sed adspergis novas.

Ibid. *Talis est Anonymus.*] Non lucem fugit, nec tenebras quærit, sed famam non captabat nec gratiam, qui præfationem, Amici ac Typographi petitione, scripsit, nec nomen suum addere vetetur aut erubescit: verum nec erat necesse, nec fieri solet, in id genus scriptionibus.

Pag. 7. *Futilem, cavillatoriam, calumniosam, &c. scurrilibus convitiis, &c. superbiam, insolentiam, maledicentiam, &c.*] Hic character est animi tui intemperantis & impotentis. Pudeat Theologum & senem, falsò affricare tot crimina *Præfationi*, quæ publice extat, & ab omnibus legitur, & criminantem convincit. Istis titulis ornari meretur longe majori jure hæc *Adspersio Calumniarum*, quæ te prodit & in jugulum tuum convitia redire facit.

Pag. 8. *Duplicem manum ac pennam.*] Male vides & male advertis: ita suspicionibus indulges falsissimis.

Ibid. *Nomine summi Dei abuti & proximum injuria afficere.*] Quam egregie utrumque præstes, non alio quam *Considerationis* & hujus *Adspersionis* testimonio est opus.

Ibidem. *Nuperus Theologus.*] Intellige qui Theologicam nuper Considerationem scripsit.

Pag. 9. *Nec erubui.*] Fortasse frontem perfricuisti.

Ibid. *Mendacissime.*] Excutiatur *Consideratio*, & loca quæ ex *Cartesio* citantur cum *Consideratis* conferantur, ac fiat parallelismus: & facile constabit, num falso dicat *Præfatio*, *Consideratorem* & criminationes & calumnias toto projecisse libello.

Pag. 10. *Animalia bruta carere sensibus publice profitentur.*] Quem tu facis *Præfationis Authorem*, is exercitii gratia, quod titulus indicat, disputandum permiserat *Resp.* 1646. *mense Iunio* hanc inter 41. Theses unam. *Bestiæ non sentiunt, sed soli homines.* Quod licet paradoxum, à vero tamen non est alienum, si sano sumatur sensu. Qui istam defendunt thesin, illi non negant impulsum fieri corporum & rerum extra bruta collocatarum in organa brutorum (species enim sensibiles non agnoscunt) sed negant illum impulsum in brutis dici debere sensionem, uti quidem dicitur in homine, quia, quæ in homine est, in iis deest perceptio: quæ si desit, jam non est sensio. Sed explicabo id tibi verbis *Cartesii p.* 484. *Med. Tres sunt quasi gradus distinguendi in sensu. Ad primum pertinet tantum illud, quo immediate afficitur organum corporeum ab objectis externis, quod nihil est aliud quam motus particularum istius organi & figuræ ac situs mutatio, ex illo motu procedens. Secundus continet id omne quod immediate resultat in mente, ex eo, quod organo corporeo sit affecto sit juncta, talesque sunt perceptiones doloris, famis, sitis, colorum, soni, saporis, odoris, frigoris, caloris, & similium, quæ oriuntur ex unione & quasi permixtione mentis cum corpore. Tertius comprehendit omnia illa judicia, quæ occasione motuum organi corporei de rebus extra nos positis, ab ineunte ætate facere consuevimus.* Primum illud nobis commune est cum brutis; sed hoc non est *sentire*. Si enim illa sentirent, in quorum organa & partes sit impulsus corporum extrapositorum, quando homo cæcus baculo dignoscit corporum figuras, deberet baculus sentire, & ipsa præcipue organa atque corporis instrumenta sentirent, quo nihil est falsius: sed vero postquam v. c. *baculus, non per aliquas species intentionales à baculo ad oculum transvolantes, sed per radios luminis ex ipso baculo reflexos, quosdam motus in nervo optico & consequenter in cerebro excitavit*, oritur sensus aut sensio, ex eo, *quod ad istam coloris & luminis ex baculo reflexi perceptionem se extendat mens,* ad eam attendendo: attendit vero, *quia intime est conjuncta cerebro,* ut statim *à motibus, qui in ipso fiunt, afficiatur.* Hoc non est in brutis, quia mente carent. Quod vero tertio, *ex coloris isto sensu, quo afficitur, mens judicet baculum extra se positum esse coloratum; quod judicet ex istius coloris extensione, terminatione, ac situs relatione ad partes cerebri, de ejusdem baculi, magnitudine, distantia, à solo pendet intellectu, &c.* ubi persequitur fusius, quænam ergo sibi censeantur *præjudicia*. Ex iis vides, quo sensu, *Bruta sentire negentur*, quia secundum tertiumque iis deficit.

Pag. 12. *Suppressa.*] Manifeste falsum hic scribis: neque enim suppressa *Rectoris Magnif.* & *D. D. Curatorum* authoritate, sed dilata ab octavo & vigesimo *die Decembris* in Conventum D. Curatorum 8 *Febr.* habendum est disputatio, quod tali formula indicatum est.

Pag. 13. *In Paulum Apostolum.*] De eo actum est in *Notis ad Vindic. Stenart.* pag. 6. l. 20.

Ibid.

Ibid. *In Heriam suum.*] Non Præses sed Respondens fuit istarum thesium authon, cujus hoc est peculium. Deinde illud *efficaciter* sumi debet comparate, ut sensus sit, argumenti illius quidem vim esse aliquam sed non tam efficacem, quia sit efficacior vis argumenti à testimonio conscientiæ, quod in *Not.* ad pag. 6. *Vind.* est ostensum.

Pag. 14. *Absurdissima notatur contradictio.*] Nulla est contradictio, quia vox *Idea* non sumitur utrobique eodem modo. *Thes.* 3. sumitur idea sensu *Amesiano* juxta *Technometriam Amesii*, unde Thesis erat desumta à *Resp.* Thesi vero 27. sumitur sensu *Cartesiano* juxta *Med. ejus Metaph.* unde illa erat hausta. Contradictio est secundum idem.

Ibidem. *Multo periculosius.*] Si nihil est periculi in Græca voce ἰδέας, quid periculi esse potest in Latina voce *speciei*, quæ Græcæ respondet. Si enim datur cognitio aliqua ex *idea* Dei, datur per *speciem*: nam quod ἰδέα & εἶδος est Græce, est species & specio Latine.

Pag. 15. *Is dudum nominatus est & verba citata.*] Sed qua fide & sinceritate, qui eum intelligunt & tuam *Considerationem* legerunt, facile judicant. Et vide Notas *Renati des Cartes* pag. 58. deprehendes te mentiri, dum hæc ei affingis.

Ibid. *Immani maledicentia.*] Quam hoc in te quadret, *Adspersio* hæc *Calumniarum* docet, in qua nulla fere est pagina, quæ non sit maledicentiæ plenissima.

Pag. 16. *Cum negat hoc Philosophis illis, jam Deum esse confitentibus, adscribi debere, fatetur tempus fuisse cum illud non confiterentur, id est, cum Athei essent.*] Vide iracundia quid possit? quas nebulas offundat & caliginem menti? quam omnem expellat ex animo judicii integritatem? verba illa, in Corollario, *jam Deum esse confitentibus*, procedunt ex hypothesi eorum qui Neotericis Philosophis falso affingunt, illos, modo Deum negare, modo eum facere causam efficientem sui: quod postremum, licet falsissimum, eis affingi nequit, nisi concedant adversarii Neotericos Philosophos jam Deum confiteri, quem tamen negari ab iis, ante sed falso confinxerant. Quantos vero fluctus in simpulo excitas cum *Corollariorum* Authorem cum *Prisciano* committis, ex eo quod, adscribit, legatur pro, adscribunt, vitio, vel typographi excudentis, vel manus scribentis. Sed vero non exiguam eruditionis tuæ partem esse sitam in emendandis Typographorum mendis, ostendit *Zuaresius* à te repurgatus, si non erroneis opinionibus, vitiis saltem Typothetarum; nam in iis tollendis magna notarum pars consumitur: est cur gratias tibi agat posteritas Philosophica, quod *Zuarem*, quem multum legit, nunc legere valeat correctiorem: nec dubito, cum recudendus erit, eum prodituram in titulo, *ex emendatione Iac. Revii.*

Ibidem. *Mentem omnibus præjudiciis denudare, Cartesii est, quæ ante credideris, omnia pro falsis habere, ne Dei quidem existentia excepta.*] Quantum hic fallas & fallaris ipse, nisi melius scias, disce ex *Cartes. Met. pag.* 486. & ex *notis nostris ad pag.* 14. *lin.* 13. *Vind. Staniar.* Et eadem hic consequentia elicis hic Atheismum, qua Pelagianismum elicuisti *disp.* 23. *th.* 13. ex verbis *Med. pag.* 55. & non intellectis, & male citatis.

c 3 Pag.

Pag. 17. *Qui in eadem sententia se esse diserte profitetur.*] Miseret me tuæ vel cæcitatis, vel malignitatis: Lege verba statim sequentia. Negat *Cartesius*, ideas à natura inesse actuales, negat esse species à cogitandi facultate diversas, sed non negat eas simpliciter esse insitas. *Vid. Not. Ren. des Cartes* variis in locis & finem *Med.* 3æ & alibi, & nostras *Notas in Vind. Stewart. ad pag.* 8. 1. 7. 8. &c.

Pag. 18. Quæ habes ea expendi ad *pag.* 16. *Not. in Vind. Stewart.* Si *Augustinus* ad rem non videtur citatus, agnosce hic propriam ergo culpam, qui primus citasti. Hactenus mire te oblectasti animalibus, feris & serpientibus, cæcis & surdis, absonis, noxiis & periculosis, atque adeo venenatis: hos dicendi flosculos tibi peperit unica *præfationis Metaphora.* Patior equidem te gaudere solidum hoc gaudium.

Pag. 20. *Monstra has adversus crebra eorum interdicta.*] Quæ hic crepas monstra, crepitaculum, ut tuum tibi verbum reponam, quæ interdicta, quam rebellionem? Prodi Sorex, & libera te à mendatiis & maledictis.

Pag. 21. *Omnibus adversariis os capistrandum.*] Tibi saltem os est capistratum, & impudentiæ tuæ frænum injectum. *Cartesius pag.* 3. *Meth.* non vult suam methodum trahi in exemplum & imitationem. Tu toto libello *Considerationis* contrarium urges & inde absurda deducis. Sed affectus in te perversi omnem recte judicandi potestatem abstulere.

Cedo locum Cartesi, &c.] Quamvis *Cartesii* scripta satis ipsum vindicent ab istis opinionum affictis monstris, nec meo egeat in sui defensione subsidio, & *pag.* 58, 59. *Nota* satis eum liberent, donec contrarium probetur, quia tamen nusquam (quod tibi quidem tam attento *Considerator*i occurrerit) hoc scribis ipsi esse dictum, ecce tibi unum pro pluribus locum, in *Ep. ad Div. pag.* 138. *nulla dubitationes fuerunt à me proposita, eo fine ut ipsas persuaderem, sed contra ut refutarem.* Si nunquam dubitationes proposuit *des Cartes* ut persuaderet, ergo nunquam ad tempus de Deo, de sensibus, &c. dubitandum voluit, quia si hoc ad tempus esse faciendum voluisset, aliquas rationes, quibus id persuaderet, protulisset; nunc contra egit, omnes rationes etiam ad tempus, etiam ad momentum dubitandi, refutavit. *Vid. quæ ibi sequuntur.*

Pag. 29. *Deum negare.*] Os impudens ac Mendax. Quis ille est ὁ δεῖνα aliquis Philosophus, qui Deum negat & falsam de Dei attributis doctrinam tradit. Effare & ostende, si potes.

Pag. 30. Venenum, quo turges, exspiras & exsibilas serpentis instar in Theologum eminentissimum, cui aliquam præfationis partem falso adscripsisti ante. Falso quoque asseris Philosophum docere Philosophiam Cartesianam, aut publice aut privatim. Lectiones contrarium testantur. Diversi vero generis ac genii esse Philosophiam suam & Aristotelicam negat ipse *Cartesius part.* 4. *Philos. Aphoris.* 200.

Pag. 31. *Qui Physice & Metaphysice disputat cum ad Logicam & Ethicam tantummodo sit vocatus.*] In docendo Philosophiæ Professoribus certi sunt positi limites, in Disputando non item. Sed per Vniversam Philosophiam unicuique disputare est licitum, citra ullam πολυπραγμοσύνης notam, quam objicis inepte & intempestive. Tu hanc labem vide ut abs te abstergas, qui in *disp. Theol. curriculo tuo*, de rebus Physicis sub titulo de *Creatione*, de animarum pluralitate, sub titulo

quæsito

quæſito de *unitate animæ Chriſti*, de diviſione entis in ens à ſe & ab alio, in titulo *de Deo*, & in analectis de mundi æternitate, terræ ſtabilitate, & aliis rebus Philoſophicis, diſputas ita Philoſophice, ut nullus ſæpe ſcripturæ locus in tota diſputatione, vel audiatur vel videatur: noſti ipſe jam binis litteris à *Deputatis Ord. Holl.* te monitum, ut ea, quæ magis ſunt Theologica, diſputares.

Ibid. *De theſauro ſtultitiæ.*] Scil. *Ipſe ſapis ſolus, reliqui volitant velut umbræ.* Sapientior tu longe, ſi cani ſapientem reddunt: ſed non ſemper canities ſapientiæ eſt comes, nec hæc illi. Bis pueri ſenes.

Pag. 32. *Novis ac periculoſis opinionibus.*] Quænam illæ ſunt, probandum eſt ſemel. Hoc opus hic labor eſt. Novitatis & periculi titulo opinionem aliquam in Philoſophia dicere ſuſpectam, cujuſvis eſt, ſed probatum id dare, non item.

Ibid. *Nulla uſus ſum acerbitate ut mos eſt meus.*] Quam tibi mos ſit agendi abſque acerbitate, præter alia, hæc oſtendit *Calumniarum adſperſio.*

Pag. 33. Titulos non fers Carteſio ex meritis & vere datos, & *Anonymum* aſſentatorem vocas: at talis eſt, qui in non merentem eos confert: hoc factum oſtende.

Pag. 34. *Poſtrema.*] Thraſoniſmi tui & jactantiæ inſignia exhibes emblemata, ac *Carteſium*, *Theologum*, & præſertim *Philoſophum* ad certamen provocas, miles glorioſe. Si aliquod *Carteſii* dogma refutandum tibi ſumſiſſes, jam reſponſum ab eo tuliſſes. Sed quia cavillaris tantum & calumniaris, contemtum mereris, non reſponſum. *Philoſophum* quod ſpectat, non difficile ei foret malam fidem & ignorantiam tuam prodere in tuo *Conſiderationis* libello, ſi liberet. Quin nec meipſum ei rei imparem habeo, ſed eadem facilitate *Carteſium* liberarem à calumniis in *Conſideratione* impactis, qua *Philoſophum* nunc liberavi ab iiſdem in *Adſperſione* tua adſperſis. Sed nec *Carteſius* nec *Philoſophus* meo hic eget auxilio.

Pag. 35. Adjungis tuæ Calumniarum adſperſioni, ut omnibus modis Philoſophum denigres, & inconſtantiam ei exprobres, & odioſum eum reddas, *Diſput. de principiis cognoſcendi* habitam, 1646. 16 *Iulii.* At nihil agis, homo ſuavis; nam ſolius exercitii gratia, quod titulus Diſp. indicat, Præſidium *Philoſophus* commodavit, Theſium author fuit *Reſp.* & eodem anno fatetur *Philoſophus* alias, *de Primo Cognito*, diſputatas à ſe in contrarium. Sed ille ita omnium pro & contra (ut loqui ſolemus) argumentorum robur, propriique ingenii vires experiri voluit. Nunc te miſſum facio, & vide ut melius abſtergas maculas tuas, *D. Repurgator*, quam hoc libello feciſti: ſed enim auxiſti, dum in Fratrem & Collegam ita acerbe invectus es: ſed condonandum id eſt tibi: impos animi fuiſti: arſiſti iracundiâ.

F I N I S.